



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Additiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

- XXIX. LEONARDVS *Callinger* succedit *Wolfgango*, gubernauit Monasterium an. tantum modo tres, menses sex. amplauit *Stubam* Prælatorum superiorem, migravitque ex hac vita. an. 1499.
- XXX. BLASIVS *Rosenfingel*, construxit ædiculam sacram B., *Marie* in ambitu, præfuit cœnobio annos ferè decem: elemosynarius fuit, calceos è pedib. detractos pauperibus dedit, mortuus est ægritudine animi octuagenarius flexis genibus an. C. 1504.
- XXXI. CASPAR *Tirndl* à *Muldorff* oriundus, vir humanus modestusque, rerù humanarum pariter ac diuinarum peritissimus, atque diligentissimus, in tanto tumultu rerum suffragio succedit; pleraque redimendo emendoq; cœnobium non parum ditauit, licet multas calamitates in bello perniciosissimo perpeffus fuerit.
- XXXII. AVGVSTINVS cognomine *Münich*, vir prudens, sobrius, rei familiaris, litterariæ atque Ecclesiasticæ studiosissimus præfuit annos 31. an. Dn. 1566. obiit VII. Cal. Nouembr. ætatis suæ plus minus 78.
- XXXIII. ADAMVS *Gensleidner* vir exquisitissimi ingenij, pius, liberalis, rerumque domesticarum studiosus, præfuit annis 26. obiit die S. *Ruderti* an. C. 1587. ætat. suæ 55.
- XXXIV. STEPHANVS *Hoffer* præfuit annos 23. prudentia & charitate, humilitate, probitate pollens; tandem obiit 29. Iulij Anno 1610. ætatis suæ 56.
- XXXV. HILARIVS *Steuer* Budvicensis Bohemus, annos propemodum decem hoc Monasterium gubernauit, altaria construxit, Romanum cauetandi more inuexit; humanitate, prudentia & mansuetudine suos moderatus est alumnos, tandem post multas ægritudines ob. 4. Febr. an. 1620. ætatis suæ trigesimo nono.
- XXXVI. PHILIPPVS *Federl* modernus Præpositus, eligitur die vigesima secunda mens. Martij, hoc ipso an. 1620. cui numen faueat.

RAMSAU ORDINIS S. AVGVSTI-
NI MENDICANTIVM.

*Ani. lib. 7.
fol. 81.*

GEORGIVS de *Fraunberg*, de *Hag*, habitans in castro *Hohenburg*, infra *Wasserburgum* iuxta *Oenum*, *Ramsau* Monasterium pro Augustinianis fratribus mendicantibus construxit, in Comitatu *Hagensi*, an. 1412. aliàs 1414. *Albertus* Episcopus *Ratisponensis* consentit, & dat Parochiam in *Kirchdorff*, ad quam *Ramsau* tanquam filia pertinebat, è conuerso Dominus *Georgius* renunciauit iuri pignoris, quod habebat in prædicto castro *Hohenburg*, hoc modo vt Ecclesiæ *Ratisbonen.* post mortem suam libere atque absque vlla refulsione cederet, &c. Idem *Georgius* Monasterio huic *Caploniam*, vt vocant S. *Nicolai*, *In der Weytaw im Luchenthal zum Spital genant*, fundatam olim à Nobilibus de *Velbm*, quam ipse & sui Antecessores, nescio quo titulo multis annis possidebant, auctoritate Pontificia tradidit ac vniuit, anno Domini 1426. Prædicta *Caplonia* aliàs pertinet ad Parochiam S. *Ioannis*, cuius verus Pastor ac Ordinarius est Ep̄s *Chiemensis*, &c. cui Capellani pro tempore per Priorem & Conuentum in *Ramsau* præsentari solent.

A D D I T I O N E S.

Sextus Episcopus seruus seruorum Dei Venerabili fratri Archiepiscopo *Salz-
burgen.* salutem & Apostolicam benedictionem. Conquesti sunt nobis Prior & Con-

& Conuentus Monasterij S. Nicolai in *Ramsauv*, per Priorem soliti gubernari ordinis Sancti *Augustini Frisingen*. Dioc. quod Venerabilis frater noster *Henricus* Episcopus & Capitulum *Ratisponen*. super annuo censu viginti librarum monetae *Monacen*. in partibus illis currentis ipsis, per quondam *Georgium Fauenberg-her* iuniorem laicum pie erogato & ad dictum Monasterium legitime pertinente iniuriantur eisdem. Ideoque fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatinus vocatis qui fuerint euocandi & auditis hinc inde propositis quod iustum fuerit appellatione remota decernas faciens quod decreueris ab ipso Episcopo auctoritate nostra ab aliis vero per censuram Ecclesiasticam, firmiter obseruari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratis, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum *Roma* apud sanctum *Petrum*, Anno incarnationis Dominicae M. CCCC. septuagesimo quarto, octauo Idus Octobris, Pontificatus nostri anno quarto.

R^{ca} grat.

N. de Benris,

Bulla Domini Bartholomaei Legati.

Bartholomaeus de *Maraschiis*. Episcopus ciuitatis *Castelli*, ad *Alemanniam* ac vniuersa & singula prouincias, ciuitates, terras & loca *Germania* sacro Romano Imperio illiusque Electoribus subiecta Apostolicae sedis cum plena potestate, legati de latere Nuntius, & orator R^{do} patri *Vdalrico* Episcopo *Adrimitano* ac dilectis nobis in Christo Praeposito beate *Mariae* in *Garsis Saltzeburgen*. Dioc. & *Mathiae Kynth* Canonico *Eysteren*: ecclesiarum salutem in Domino sempiternam. Pius fidelium votis per quae praesertim diuini cultus augmentum & Ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum procuretur decencia libenter animus eaq; fauoribus prosequimur oportunis. sane sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filij Nobilis viri *Sigismundi* de *Frauvberg*, Baronis & Domini loci in *Hage Frisingen*: Dioc. petitio continebat quod dictus *Sigismundus* de propria salute recogitans ac cupiens diuinum ampliari cultum, nec non terrena pro caelestibus & transitoria pro aeternis felici commercio commutare, quandam Ecclesiam in suo territorio Comitatus *Hage Frisingen*: Dioc. sub vocabulo S. *Wolfgangi in der Swindaw* de nouo ex elemosinis Christi fidelium vt eadem petitio subiungebat constructam & nondum consecratam nec ecclesiasticis beneficiis insignitam consecrari & ecclesiasticis beneficiis ornari cupiens ex elemosinis, quas Christi fideles pro animarum suarum salute ac deuotione ad ipsum sanctum *Wolfgangum* ibidem pro maiori parte porrexerunt, & etiam partim ex bonis sibi & maioribus suis a Deo collatis certos annuos redditus tricentorum florenorum auri *Renen*: vel circa ad effectum in dicta Ecclesia S. *Wolfgangi* beneficium fundandi emi & comparari ipse maioresque sui successiue procurarunt & emerunt, licet magnam partem cum pacto de retrouendendo, quae quidem bona, fructus, redditus & prouentus idem *Sigismundus* ecclesiasticae potestati & ditioni effectualiter subijcere, & in dicta Ecclesia Sancti *Wolfgangi* in *der Swindaw* vnum perpetuum beneficium quod dignitas sit & Praepositura

AUCU.

nuncupetur fundare ac illud de bonis prædictis pro vno Præposito qui sub se habeat quatuor presbyteros manuales dotare desiderans dictos trecentos floren: Renen. pro diuini cultus augmento distribui & dispensari ac alia fieri & concedi in hunc qui sequitur modum humiliter postulauit. In primis idem *Sigismundus* cupit beneficium in prædicta Ecclesia sancti *Wolfgangi* fundandam & erigendam esse dignitatem & appellari Præposituram cuiusque pro tempore possessorem, Præpositum in dignitate constitutum quam vult dotare prout etiam dotasse asseruit dictis tricenis florenis Renen; annuis, pro maiori tamen parte ex eleemosynis inibi à Christi fidelibus porrectis vt præmittitur emptis & comparatis etiam cum pacto de retrouendendo. Idem vult quod Præpositus pro tempore existens sit astrictus ad tenendum cum dicta dote tricentorum florenorum Renen: quatuor honestos presbyteros & vnum Magistrum Scholæ quibus faciat expensas honestas & decentes absque tamen potu, ita quod mensa nuda verisimiliter attingat quatuordecim florenos Renen: pro quolibet annuatim. Et vltra hoc vt dicti presbyteri & Magister Scholæ honestius & competentius se sustentare possint, cuiuslibet ex presbyteris dare teneatur singulis annis floren: Renen: viginti sex & Magistro Scholæ duodecim in quatuor temporibus annis cum scitu seu præsentia patroni absque mora. Idem item Præpositus teneatur vltra præmissa suis expensis ordinare vtensilia & necessaria domus & tres familiares tenere quorum duo clerici sunt, qui tam in Ecclesia ad diuina officia peragenda quam extra dictis Præposito & presbyteris seruire & necessaria ministrare teneantur. Tertius verò custodiendi & ornandi Ecclesiam eiusque bona conseruandi habeat officium & quatuor floren: Renen: ab ipso Præposito pro suo Salario annuatim. Item quod idem Præpositus teneatur & sit astrictus ad continuam & personalem residentiam dictæ Præposituræ & antequam instituatur esse Sacerdos vel infra annum presbyter fieri nec non ad diuina officia laudabiliter singulis dieb. peragenda ita quod singulis dieb. duæ missæ ad minus celebrentur, quarum vna summo mane legatur, alia verò ante prandium hora consueta tractim cantu *Gregoriano* & hora vesperarum vespere solenniter decantentur. Item quod Præpositus prædictus singulis dieb. dominicis teneatur per se vel alium ex dictis presbyteris populo Euangelium exponere & verbum Dei declarare, Item quod idem Præpositus possit & valeat dictam Ecclesiam sancti *Wolfgangi* quotiens eam execrari & pollui contingat reconciliare, nec non tam ipse quam presbyteri confessiones Christi fidelium sibi confiteri volentium & præsertim peregrinorum & forensium libere audire & absolueri eisque de commissis per eos salutarem poenitentiam iniungere ac sacramenta Ecclesiastica ministrare & illa ibidem laudabiliter conseruare nullius super hoc licentia requisita. Item Magister Scholæ teneatur & sit astrictus inuenies ibidem existentes & illuc confluentes fideliter informare & singulis diebus dominicis & festiuis cum suis Scholaribus summam missam in adiutorium dictorum presbyterorum decantare. Item quod idem Præpositus sit astrictus dictos presbyteros suscipere & acceptare de scitu & consensu & ad nominationem ipsius pro tempore patroni, ita vt non dissoluti sed honesti acceptentur licententurque si malæ conuersationis, regiminis & vitæ fuerint, vel alias patrono pro tempore non placuerit. Item quod de eleemosynis ad Ecclesiam sancti *Wolfgangi* prædictam à Christi fidelibus pro reparatione & fabrica & ornamentis ipsius Ecclesiæ ad diuini cultus augmentum hæcenus porrectis & porrigendis, datis seu dandis, oblati & offerendis, exceptis eleemosynis quæ sub diuinis officiis ad altare dum ibidem cantatur vel legitur missa in pecunia offeruntur, Præpositus seu quisque alius se nequaquam intromittat aut in.

in suum vsum conuertere præsumat, sed patronus pro tempore vna cum Præposito per se vel alium percipiat & eleemosynas ipsas ac legata & relicta quæcunque pro reparatione & manutentione ipsius ecclesiæ & ornamentorum dispenset & distribuatur, redditus vltiores emat & numerum presbyterorum, Ecclesiæ ornamenta, missas & diuinum cultum pro augmento reddituum quoque augeat, neque in alium vsum conuertat seu conuertere permittat, itaque quotiescunque redditus ad quadraginta florenos Renen. augeri contingat, totiens vnus alter presbyter honestæ vitæ deputetur & prioribus adiungatur, prouiso tamen prius Ecclesiæ necessitatibus. Item quod præfatus *Sigismundus* de *Fraunberg* & successores sint & debeant esse patroni, tutores & aduocati dictæ Ecclesiæ sancti *Wolfgangi* ac ad eoidem ius patronatus seu nominandi, præsentandi & deputandi personam idoneam ad dictam præposituram tam primaria vice quam postea quotiens eam vacare contigerit, spectet & pertineat absque medio & primo remaneat & remanere debeat apud ipsum *Sigismundum* per tempus vitæ suæ, postea verò deuoluatur ac eo ipso sit deuolutum ad hæredes suos legitimos per lineam masculinam descendentes masculini sexus & illius cognominis & prosapiæ *Fraunberg*, ita quod semper antiquior de dicta prosapia *Fraunberg* ex præfato *Sigismundo* descendens masculini sexus dummodo tamen sit Dominus & possessor realis in toto vel in parte Comitatus & castri simul *Hage* & non alius debeat esse patronus, tutor, gubernator & aduocatus, dictæ Ecclesiæ & Præposituræ *S. Wolfgangi*, Deficientibus autem heredibus legitimis masculini sexus ex dicto *Sigismundo* descendentes, ex tunc dictum ius præsentandi, tuendi & aduocandi vt præfertur deuoluatur, spectet, & pertineat ad antiquiorem illius nominis & prosapiæ *Fraunberg* qui tamen sit Dominus & realis possessor in toto vel in parte dicti Comitatus & castri simul *Hage* vt præmittitur. Si autem dictum castrum & comitatum *Hage* ad alios alterius nominis & familiæ *Fraunberg* quomodocumque deuenire cõtingeret, ita quod nullus ex familia *Fraunberg* neque castrum neque comitatum in toto vel in parte teneret & possideret, ex tunc dictum ius patronatus & deputandi cum suis annexis sic deuolutum spectet & remaneat semper apud antiquiorem illius familiæ *Fraunberg*, ita quod dicta Præpositura *S. Wolfgangi* non cedat sub aliqua seu alicuius collatione, prouisione, dispositione, commenda, gratia seu reservatione in præiudicium & gravamen iuris præsentandi vt præfertur. Institutio autem personæ idoneæ per patronum pro tempore ad dictam Præposituram præsentata spectet & pertineat ad ordinarium loci pro tempore Episcopum *Frisingen*: ita quod patronus pro tempore teneatur Præpositum instituendum Reuerendo Domino pro tempore Episcopo *Frisingen*: præsentare & idem Episcopus personam sic ad dictam Præposituram præsentatam instituere & absque morâ dispendio in forma prout moris est inuestire, qui si id facere recusauerit seu neglexerit & institutionem vltra mensem distulerit, ex tunc idem pro tempore patronus possit ac valeat Præpositum instituendum præsentare. Reuerendo patri Domino Præposito pro tempore Beatæ *Mariæ* in *Garfis Saltzburghen*: Dioc. qui dictum præsentatum instituere & inuestire teneatur & sit astrictus. Iam vero post erectionem Præposituræ & sic primaria vice duntaxat liberum sit & voluntarium ipsi *Sigismundo* Præpositum instituendum, præsentare vel præfato Domino Episcopo *Frisingen*: vel ipsi Præposito beatæ *Mariæ* in *Garfis* prout sibi magis placuerit. Item quia dictorum trecentorum florenorum Renen: maior pars est empta cum pacto de retrouendendo, ideo dictus *Sigismundus* patronus petit ipsam præposituram illo non obstante erigi & dictam dotem sibi incorporari, dummodo idem *Sigismundus* Patronus obliget se & succes-

successores suos pro tempore patronos, quod quotiens dictos redditus cum
 pacto de retrouendendo emptos redimi & liberari contingat quod ex tunc pe-
 cuniam ex huiusmodi redemptione & venditione habitam quantocius in alios
 redditus annuos tanti valoris assistentia dicti Præpositi conuertere velit & sita-
 frictus omni mora & negligētia sepositis & donec illud non fecerit, de propria
 substātia defectum huiusmodi pecuniarum ne diuinus cultus minuatur seu ne-
 gligatur supplere. Item quod idem Præpositus pro tempore huiusmodi suam
 Præposituram nequaquā simpliciter vel ex causā permutationis per se vel aliū
 in Rom. curia vel extra eam resignare præsumat, aut alias quomodolibet dimit-
 tat, seu à residentia personali, vltra tempus vnus mensis sub pœnis amissionis
 fructum Præposituræ vnus anni fabricæ aplicandorum recedat & abesse præ-
 sumat sine expresso consensu ipsius patroni ad hoc interueniente. Item q. qui-
 libet Præpositus ad dictam Præposituram præsentandus & quilibet presbyter
 in capellanum assumendus & deputandus antequam instituatur & assumatur
 debeat & teneatur ad sancta Dei Euangelia in manib. dicti patroni pro tempo-
 re existentis iurare, qui hoc iuramentum recipere possit vel se alias ad hoc sub
 pœnis Cameræ apostolicæ obligare seipsum de hoc supportare noluerit q. præ-
 dicta oīa & singula velit diligenter obseruare, attendere, facere, & pro posse ad-
 implere, & cōtra eadē directe vel indirecte de iure vel de facto quouis q̄sico, co-
 lore p se vel aliū seu alios venire nec aliquid cōtra præmissa impetrare seu im-
 petrari facere aut impetratis & concessis etiā modo proprio aliquo modo vti
 sub pœnis detestabilis piurii priuationis & amotionis ab ipsa Præpositura nec
 non Cameræ apostolicæ ac aliis per Reuerendum patrem Dñm Episcopum
Frisingen. pro tempore existentem infligendis & moderandis. Et vt præmissa
 omnia & singula plenum robur & firmamentum non obstantibus quibuscū-
 que fortirentur, diuinus cultus augmentaretur dictisq; Præposito & presbyte-
 ris non solum virtutis amore sed etiam formidine pœnæ delinquendi & vagan-
 di auferretur occasio ipsaque Ecclesia S. *Wolfgangi* & eius cimiteriū cōsecraretur
 nobis fuit pro parte dicti *Sigismundi* Baronis humiliter supplicatum quatenus
 fundationi, dotationi, ordinationi, articulis & statutis prædictis robur apo-
 stolicæ firmitatis adicere nec non Ecclesiam sancti *Wolfgangi* prædictam conse-
 crare, beneficium fundatum & dotatum cum prædicta ordinatione creare & in
 Præposituram erigere, ius patronatus sibi & successoribus suis prædictis refer-
 uare, redditus emptos & emendos etiam cum pacto de retrouendendo à laicæ
 potestatis onere eximere ac præmissa omnia & singula in oībus suis articulis
 cōtenta ratificare & approbare & concessa nobis facultatis vigore auctoritatē
 nostram interponere atq; votis suis in præmissis annuere de benignitate apo-
 stolica dignaremur Nos igitur qui apostolicæ sedis omnimoda potestate legati
 de latere fungimur & auctoritate, quique diuinum cultum intensius affectamus
 desideriis & de præmissis certam non habentes notitiam minimumque à dicta
 Ecclesia sancti *Wolfgangi* distantes huiusmodi supplicationibus inclinati man-
 damus quatenus nos vel duo aut vnus vestrum super præmissis omnibus &
 singulis & eorum circumstantiis vniuersis concessa nobis facultatis vigore, a-
 postolica auctoritate summarie informetis, & si per informationem huiusmo-
 di ipsum beneficium fundandum & erigendum modo præmissis dotatum exi-
 stere & Ecclesiam S. *Wolfgangi* prædictam in Comitatu & territorio dicti *Sigis-
 mundi* constructam & nondū consecratam esse reperiretis, super quo vestra o-
 neramus conscientiam, illud in Præposituram quæ dignitas sit & Præpositura
 nūcupetur & eius pro tempore possessor Præpositus in dignitate constitutus, di-
 cta auctoritate erigatis & creare non obmittatis, ita quod postquam dictum
 bene-

beneficium erectum fuerit in Præposituram, Præpositum pro tempore omnibus & singulis priuilegiis, inunitatibus, concessionibus, antelationibus & insigniis quibus, aliarum etiam collegiarum Ecclesiarum Præpositi gaudent, & potuerunt gaudere potiri & uti debere & posse decernatis, ius patronatus seu presentandi personam ad dictam Præposituram ydoneam dicto *Sigismundo* & suis successoribus, ut præfertur pleno iure reseruetis, fructus, redditus, & prouentus emptos & emendos etiam cum pacto de retrouendendo ab onere laicæ potestatis liberetis, ac ipsi Præpositi pro tempore postquam Ecclesia *S. Wolfgangi* consecrata fuerit, quotiens deinde eam execrari & pollui contingat recõciliandi potestatem tribuatis à qua tamen prius per aliquem Episcopum benedicta ordinatione quotque & articulos statuta ac omnia & singula præmissa in omnibus & singulis suis punctis ratificetis, approbetis & obseruare faciatis, ac omnia alia que pro diuini cultus augmento ac in præmissis necessario fore noueritis seu quomodolibet opportuna exequi & peragere procuretis. Contradictores quoslibet rebelles & prædicta non obseruantes per censuram Ecclesiasticam compescendo irritumque & inane decernendo si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attemptari, non obstantibus præmissis ac cõstitutionibus & ordinationibus, apostolicis cæterisque in contrarium facientibus, quibuscunque, Et quia Ecclesiarum consecratio episcopali ordini est annexa, ideo tibi *Vadrico* Episcopo *Adrimitano* prædicto soli committimus & mandamus quatenus Ecclesiam *S. Wolfgangi* personaliter accedens eam eiusque cimiterium benedicere & consecrare ac alia circa præmissa fieri solita facere & execrare studeas & exequaris diligenter. In quorum omnium & singulorum fidem has nostras litteras fieri fecimus, & sigilli nostri appensione communiri. Datum in opido *Ingolstatt Eysstern*. Dioc. Anno à Natiuitate Domini Millesimo, quadringentesimo, octuagesimo quarto. Nonis Aprilis, Pontificatus sanctissimi in Christo patris & Domini nostri Domini *Sixti* diuina prouidentia Papæ quarti, anno tertio decimo.

L. Ritus.

Innocentius P. P. VIII.

Venerabilis frater & dilecti filij salutem & apostolicam benedictionem. Exponi nobis fecit dilectus filius *Sigismundus* de *Fravberg* Baro. Quod cum ipse quandam Ecclesiam *S. Wolfgangi* in *Sovindauv* in territorio suo de nouo constructam & nondum consecratam nec Ecclesiasticis beneficiis insignitam consecrari & inibi beneficium quod dignitas sit & præpositura appellaretur erigi facere desideraret, litteras à Venerabili fratre B. Episcopo ciuitatis *Castelli*, tunc in illis partibus apostolicæ sedis nuncio impetrauit, vobisque iudicibus, in eis deputatis dedit in mandatis, quatinus vos de dote ipsi Ecclesie assignata informaretis, Præposituram huiusmodi erigeretis & alia faceretis, prout in ipsis litteris plenius dicitur contineri. Quarum tenores hic haberi volumus pro sufficienter expressis. Verum sicut eadem expositio subiungebat, antequam dictæ litteræ presentatæ, & Præpositura erigi incepta fuisset, idem Episcopus Prouinciæ sibi decretam exiuit, dubitaturque nunc an vos huiusmodi litteras exequi possitis. super quo nobis præfatus *Sigismundus* de oportuno supplicari remedio curauit. Nos ad omnem ambiguitatem tollendam vobis presentium tenore committimus ac mandamus, quatenus litteras præfati Episcopi etiam quo ad consecrandam Ecclesiam in omnibus & per omnia, absque tamen iuris alieni præiudicio vos

cio vos vel duo aut vnus vestrum exequamini perinde ac si Episcopus ipse non discessisset ante illarum executionem & tale dubium non oriretur ac tanquam littere illæ à nobis emanassent. Præmissis & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum *Romæ* apud sanctum *Petrum* sub annulo piscatoris, die XXI. Aprilis, Millefimo Quadringentesimo LXXXVI. Pontificatus nostri anno secundo.

Venerabili fratri *Vdalrico* Episcopo *Adrimitan.* ac dilectis filiis Præposito Beate *Maria* in *Garfis* *Salisburgensis*. Dioc. nec non *Matthie Kyndt* Canonico *Eyfferten.* Ecclesiarum & cuiuslibet eorum in solidum.

Hic: *Balbanus.*

Innocentius P. P. VIII.

Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Intelleximus te decreuisse retrahere bona per te data pro dote Præposituræ erigendæ in Ecclesia *S. Wolfgangi* ex concessione apostolica; & hoc facere propterea. quod Venerabilis pater. Episcopus *Frisingen.* eleemosynam quæ à Christi fidelibus etiam pro huiusmodi dote impenditur vult in alium vsum convertere. Displicet hoc nobis quia videmus ex hoc impediri ipsam erectionem & diuinum cultum minui, scribimus itaque ad ipsum Episcopum super hoc oportune, & tuâ nobilitatem hortamur, ne id facere velit, sed permittere & procurare, vt dicta Præpositura erigi dotari possit iuxta ordinationem & mandata apostolica. Erit hoc pietate & religione tua dignum & apud Deum meritorium. Datum *Romæ* apud sanctum *Petrum* sub annulo Piscatoris, die 14. Februarij M. CCCC. LXXXVII. Pontificatus nostri anno tertio.

Dilecto filio Nobili viro *Sigismundo* de *Fraunberg*, Baroni *Frisigen.* Dioc.

Hic: *Balbanus.*

Innocentius PP. VIII.

Dilecti filij salutem & Apostolicam benedictionem. Vt erectio Præposituræ nouæ Ecclesiæ sancti *Wolfgangi Frisingensis* Diocesis debito effectui demandetur, quam ab aliquibus impediri audimus, hortamur deuotionem vestram, & monemus patèrne, curare velitis, vt eleemosynæ & prouentus dictæ præposituræ obuènientes in dotem illius & non in alium vsum omnino conuertantur, iuxta tenorem litterarum super dicta erectione expeditarum: prouidendo ne eleemosynæ prouentusque ipsi in alias manus deueniant, nisi in eas quæ venire debent ex tenore bullarum pro dote paranda & complenda. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum *Romæ* apud sanctum *Petrum* sub annulo piscatoris, die prima Septembris, Millefimo, Quadringentesimo, LXXXVII, Pontificatus nostri anno tertio.

Dilectis

COLLEGIOR. PER BOIARIAM.

Dilectis filiis *Sigismundo de Fraunberg* Baroni in *Hage* & vitricis
sancti *Wolfgangi Frisingensis*: Dioc.

Hic: Balbanus.

Innocentius PP. VIII.

Venerabilis frater & dilecti filij salutem & Apostolicam benedictionē. Fuitis alias vos & quilibet vestrum in solidum iudices & commissarij auctoritate Apostolica super erigenda Præpositura in noua Ecclesia sancti *Wolfgangi Frisingen*: Dioc. deputati, prout in ipsis litteris plenius continetur, quæ ut debite mandentur executioni, & ut ipsa erectio prout est ordinatum, bene & opportunè fiat, volumus ac vobis mandamus ut fructus, redditus, & proventus ac eleemosynas dictæ Præposituræ in illius dotem iuxta litterarum prædictarum feriem, & non in alium vsum conuerti & exponi, aut ad alienas manus deuenire curetis & faciatis, contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum *Romæ* apud sanctum *Petrum* sub annulo piscatoris, die prima Septembris, M. CCCC. LXXXVII. Pontificatus nostri anno tertio.

Innocentius PP. VIII.

Venerabilis frater salutem & apostolicam benedictionem. Mandauimus alias fraternitati tuæ, ut eleemosynas quæ pro dote Præposituræ erectæ in noua Ecclesia S. *Wolfgangi* tuæ dioc. per Christi fideles elargirentur nullo modo velles retrahere aut capere, sed in ipsam dotem conuerti permitteres iuxta ordinationem & mandatum nostrum prout in alio breui nostro desuper edito plenius continetur. Nuper autem accepimus fraternitatem tuam huic nostro breui non acquiescere, ex eo quod in illo non fit mentio prioris breuis ad te etiam directi, in quo te tanquam ordinarium hortamur velles perspicere & attendere, ut eleemosynæ quæ Ecclesiis tuæ Dioc. & maximè celebrioribus & magis deuotis offerrentur bene distribuerentur, & in bonos vsus sub excommunicationis pena conuerterentur. Quod si est ita causam legitimam non habes, cur breui priori non pareas. Ipse enim eleemosynæ non possunt nisi in bonos vsus conuerti si in dotem Præposituræ, prout est ordinatum à principio distribuuntur. Igitur denuo fraternitati tuæ præsentium tenore expressè præcipiendo mandamus, quatenus dictam erectionem nullo pacto impedias, & de ipsis eleemosynis te non intromittas, sed illas prout in litteris erectionis fuit ordinatum, in huiusmodi dotem conuerti omnino sinas. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum *Romæ* apud sanctum *Petrum* sub annulo piscatoris, die prima Septembris, Millesimo Quadringentesimo LXXXVII. Pontificatus nostri anno tertio.

Innocentius PP. VIII.

Venerabilis frater & dilecti filij salutem & apostolicam benedictionem. Licet ex aliis litteris nostris in forma breuis ad vos coniunctim & diuisim directis, vobis sit plena attributa facultas procedendi ad totalem executionem litterarum bonæ memoriæ *Bartholomei de Maraschis* quondam Episcopi ciuitatis *Castelli*, tunc in.

partibus istis, apostolicæ sedis cum potestate legati de Latere nuntij, super erectione certæ Præposituræ ad petitionem dilecti filij *Sigismundi de Frauoberg*, Baronis & Domini loci in *Hage, Frisingensis* Dioc. & aliis in dictis litteris contentis editurum. Tamen quia ut accepimus magna huiusmodi executioni est interposita mora, ipseque *Sigismundus* qui multa de bonis sibi à Deo collatis pro dote dictæ Præposituræ dare proposuerat, propter mortem subsecutam dicti quondam Episcopi ante ipsarum litterarum executionem, dubitat, an ad ipsarum executionem procedere possitis. Nos ipsius *Sigismundi* piam mentem in bono eius proposito confortare cupientes vobis eandem potestatem & facultatem, in aliis nostris litteris vobis demandatas, tenore præsentium concedimus & impartimur procedendi in omnibus & per omnia ad executionem litterarum, dicti Episcopi ac nuntij perinde ac si ipse adhuc cum eadem potestate infra limites suæ legationis existeret, & ageret in humanis facientes oblationes de quibus in eisdem litteris mentio fit, iuxta illarum continentiam dictæ Præposituræ applicari, nec permittentes illas in alios vsus conuerti aut à quoquam distrahi vel diminui, contradictores per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita compescendo, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. *Petrum* sub annulo piscatoris die XIX. Maij M. CCCCLXXXIX. Pontificatus nostri anno quinto.

Venerabili fratri *Vdalrico* Episcopo *Adrimitan.* & dilectis filiis
Præposito Beate *Mariæ* in *Garfis Salisburgensis*. Dioc.
& *Matthiæ Kyndt* Canonico *Eysseten.* Ecclesiarum.

Io. pe. *Arriabenus*

Venerabilis frater salutem & Apostolicam benedictionem. Alias ad instantiam dilecti filij nobilis viri *Sigismundi de Frauoberg* Baronis tuæ Dioc. mandauimus erigi tuam Præposituram in noua Ecclesia Sancti *Wolfgangi* in *der Schwindaw* in territorio & fundo ipsius *Sigismundi* constructa ex pia fidelium largitione Præposituramque huiusmodi tam ex eleemosynis quam propriis bonis eiusdem *Sigismundi* dotari volumus prout in aliis nostris in forma breuis desuper editis litteris plenius continetur. Nuper autem accepimus quod tua fraternitas nititur & vult huiusmodi eleemosynas retrahere, ac in alium & fortasse tuum vsus conuerrere ex quo idem *Sigismundus* indignatur & fieri hoc prohibet suaque se bona retracturum minatur quæ pro eadem Præpositura dotanda dedit si tua fraternitas perget hoc facere, unde dubitatur ne inter te & ipsum oriarur dissensio, erectio impediatur, & diuinus in dicta Ecclesia decrescat cultus. Quare nos pastoralis officio admoniti & supplicationibus circa hoc nobis porrectis inclinati fraternitatem tuam hortamur, eique apostolica auctoritate in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut si est ita, eleemosynam huiusmodi auctoritate apostolica ad id deputatam nullo pacto retrahas aut capias, sed in ipsam dotem conuerti permittas iuxta ordinationem & mandatum nostrum, quibus te opponere non debes sed illis prompte parere, fungaris officio boni Prælati, & nobis erit gratum. Datum *Roma*, &c.

Venerabili fratri Episcopo *Frisingen.*

RAS